





DISSERTATIO INAUGURALIS

1778, 6 15

DE

EXCEPTIONE
SENATVSCONSULTI

VELLEIANI ET AVTHENTICAE
SI QVA MULIER IN CAMBIIS IVRE
BRUNSVICENSI CESSANTE; AD
ART. II. ORD. CAMB. BRUNSVICENS.

QVAM

1778. SVB AVSPICIIS REGIIS
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRECONSULTORVM ORDINE

PRO

GRADV ET PRIVILEGIIS DOCTORIS
IN VTROQVE IVRE RITE ET LEGITIME
OBTINENDIS

D. XIX SEPT. MDCCLXXVIII.

PVBlice TVEBITVR

AVGVSTVS FERDINANDVS HVRLEBVSCH
BRUNSVICENSIS.

GOTTINGAE

APVD IOANNEM HENRICVM SCHVLZIUM, ACAD. TYPOGR.




DISSERTATIO IN VETERINA
DE
EXCEPTIONE
SENATUSCONSULTI
VELLIANI ET AVTHENTICAE
SI QVA MVLIER IN CAMPIS IVRE
BRVNSVICENSIS GRESSIT AD
ART. I. ORDI. CAMP. BRVNSVICENSIS

QVAM
SVD AVSPICIBUS REGIIS
CONSENSV
MAGISTRI-RECTORIS-ALTIORVM ORDINIS
MDCCCXXXIII
CAMP. ET PATRICII DOCTORIS
IN IURISPR. HONORIS ET LEGITIMI
ORDINIS
P. XIX SEPT. BRVNSVICENSIS
PUBLICE TAVLAE
AVGVSTVS FERDINANDVS HILDBRACH
BRVNSVICENSIS

GOTTINGAE
AVD IOHANNEM HENRICVM SCHULZIVM ABAT. TYPOG.

1833



PARENTI OPTIMO, INDVLGENTISSIMO
DEQVE SE MERITISSIMO
D O M I N O
SAMVELE GEBHARDO
HVRLEBVSCH

CONSVLI ET SYNDICO CIVITATIS
BRVNSVICENSIS

IN TESSERAM TENERRIMAE GRATISSIMAE-
QVE MENTIS PRO TOT TANTISQVE IN
SE COLLATIS BENEFICIIS; CVM AR-
DENTISSIMO VOTO PRO EIVS SALVTE
ATQVE INCOLVMITATE EX INTIMIS
ANIMI PENETRALIBVS CONCEPTO

HANC DISSERTATIONEM

OMNI QVA ERGA OPTIMVM PATREM
DECET

PIETATE ET OBSERVANTIA

D. D. D.

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS

AVGVSTVS FERDINANDVS HVRLEBVSCH.

IN NOMINE DOMINI AMEN
D. O. M. I. N. O.
S. AMON. I. G. H. A. R. D. O.
H. A. R. T. H. O. L. I. C. I.

CONCORDIA ET PACIS
IN TESTAM. H. A. R. T. H. O. L. I. C. I.
O. V. I. T. A. M. I. N. O. T. A. M. I. N. O.
L. I. B. R. A. R. I. I. A. M. I. N. O.
A. L. I. O. T. I. A. M. I. N. O. T. A. M. I. N. O.

OMNIA QVAE S. OTTONI PATRI
H. A. R. T. H. O. L. I. C. I.
D. O. M. I. N. O.

AVGVSTVS H. A. R. T. H. O. L. I. C. I.





DE

EXCEPTIONE SENATVSCONSULTI VELLEIANI ET AVTHENTICAE SI QVA MVLIER IN CAMBIIS IVRE BRVNSVICENSI CESSANTE;
AD ARTIC. II. ORDINAT. CAMB. BRVNSVICENSIS.

§. I.

Nimis cogniti sunt varii, quos cambii vox admittit significatus, quam vt in vberiori eorum explicatione operam meam collocandam esse, necessarium ducerem. a) Litteras cambiales quando denotat, nihil est aliud, nisi *instrumentum guarentigiatum, cambii mentione munitum*, b) *ex quo quod debetur promissime ad diem dictum soluen-*

a) conf. KOENIG ad ord. camb. Lips. art. I. not. 1. Io Ad. Beck
RB. St. cap. I. §. 41 sq. IO. MAX. RAUMBURGER Iustitia selecta gent. europ. in camb. cap. II. IO. CHRISTOPH FRANK
Instit. Iur. camb. Lib. I. Sect. I. Tit. II. PETR. MVLLER ad
Geo. Ad. Struuii synt. Iur. ciu. Exerc. XXV th. 40. not. α

b) KOENIG l. c. art. III not. 1. FRANK l. c. Tit. VI. §. 7. vbi
id multis auctoritatibus probat, simul ramen § 8. verba aequipollentia, e. g. Solas, primas, secundas, sufficere putat.

A



soluendum est. Cum promtissime soluendum sit, sequitur, ut omnia quoque remedia, quae ad paratam promtamque solutionem aliquid conferre possunt, adhibenda sint; adeoque, cum paratissima executio et obligatio ad carceres mirum quantum conferant ad solutionem eo citius adipiscendam, non inique, credo, utrumque ita arte cum violatione huius obligationis coniunctum est, ut immediate eam sequatur, nec separari ab ea possit. Quae res eo quosdam perduxit, ut definitioni cambii hunc violatae obligationis cambialis effectum addere non dubitarent. Quo id iure fecerint, vel inde apparet, quod abhorreat a bonae definitionis notione, ut ipsi addas effectum, cum violatione rei definiendae coniunctum, et simul in ea tradas modum exequendi ius ex re definita descendens. Paratissima enim executio et obligatio ad carceres, cum sequatur *cambii* et obligationis ex eo descendens *violationem*, ad essentiam naturamque *cambii ipsius* pertinere dici non potest; cum tum demum locum habeat, si quis obligationi suae non satisfacit.

§. II.

Interim cum hoc constet, obligationem subeundi carcerem arctissime esse cum violatione obligationis ex cambio resultantis, coniunctam; non incongrue mouetur quaestio, an et mulier in cambio se obligare possit, cum iure Romano, ne propter debitum ciuile carceri mancipari possit, constitutum sit *c*). Negant hanc quae-

e) Non. 134 c. 9. Primo quidem mulieribus per l. 1. C. de offic. diu. iudic. anno 316 latam, prospectum fuit, dein per l. 3. C. de custod. reor.

III

3

quaestionem omnes fere Doctores, et ad Nouellae citatae argumentum prouocare non erubescunt *d*). Vnice mercatrices feminas eximunt *e*) quas, cum virilia negotia exerceant, vtique iuri cambiali se subiicere posse praecipiunt; id quod nonnullorum locorum legibus confirmatum esse videmus *f*). Interim vbi talis lex deficit, an argumentum ex lege Romana desumptum, stringat, valde dubito. Nimirum probe obseruandum est, iudici legem hanc scriptam esse ne possit mulierem in debitis civilibus, breui, in tali negotio, quocum obligatio ad carceres ita arte coniuncta non est, in carcerem detrudere; non vero latam esse in fauorem mulierum, quando sponte se tali negotio immiscent, quocum in euentum necessario coniuncta est carceris subeundi obligatio. Et cum, qui se in cambio obligat, legem et modum procedendi ipse determinet, nihil profecto obstat, quo minus secundum legem, quam sibi ipse scripsit, diiudicari queat.

reor. latam a. 340 cui iam accessit N. 134. c. 9 quae iubet: *vt nulla mulier de qualibet re includatur aut custodiatur*. Additur in fine: *mulier enim mulierem pro pecunia fiscali, siue privata causa, aut pro criminali quolibet modo in carcerem mitti concedimus*. Extant huius Nouellae duae authenticae; altera: Sed hodie C. de offic. diu. iud. altera: Hodie nouo iure C. de custod. reor.

- d*) e. g. SEBAST. HENR. GERCKEN de iuribus fideiussoris camb. §. 6. IO. GOTTL. SIEGEL diff. selecta iuris Rigenium cambialis capita explicata exhibens § VIII.
- e*) Generos. de SELCHOW Elem. Iur. Germ. priu. §. 610. Eiusd. Grundsätze des B. R. §. 21.
- f*) Exemplo esse possunt *ord. camb. Vindobonens.* de 1717 Art. VI. *Gorbana* de 1732. Art. II. *Pratistauiens.* de 1712 §. III. *Silesica* de 1732. Art. III. Quae omnes, dum solis mercatricibus ius in cambiis se obligandi concedunt, non mercatrices exemisse videntur. Idem in Saxonia in der erläuterten Proceß Ordnung in append. §. XI. ita sancitum esse KOENIG ad Art. II. ord. camb. Lips. refert.



queat. Accedit, quod talis obligatio, qualis ex cambio descendit, Romanis plane incognita fuerit, quodque adeo, quae in illa lege disposuerunt, ad negotium ipsis incognitum, et de quo plane non cogitarunt, applicari non possit *g*). Ergo licet clament Romanum ius subsidiarium esse, adeoque in subsidium adhiberi debere; tamen non potest lex de diuersa specie aliquid praeci- piens applicari ad speciem plane diuersam.

Alii eam ob causam ab obligatione cambii feminas eximunt, quoniam de bonis suis libere disponere non possint *h*). Sed vereor, vt haec regula vera sit. Primo quidem, si verum est, feminam de bonis suis disponere non posse; regula haec non est propria obligationis cambialis, sed per se iam patet, et generaliter ad omnes praestationes, quae patrimonium adficiunt, spectat; adeoque indigna est, cuius in tradendo iure cambiali prae aliis mentio fiat; nisi forte omnes eiusmodi regulas vel tironibus notas, hic recensere velis. Tum, feminam de bonis suis libere disponere non posse, negamus. Potestne gaudere bonis receptitiis (*Spillgelder*) *i*) de quibus utique libere disponere, adeoque etiam eorum intuitu in cambio se obligare potest? Et vbi viget bonorum commu-

g) Exinde patet simul, frustraneam esse eorum operam, qui ex iure Romano feminas cambii capaces esse probare nituntur; quorum incensum pertinet PETRUS MÜLLER ad Geo. Ad. Struv Synt. Iur. cin. Exerc. XXV. th. 41. lit. 4. not. II.

h) Generos. de SELCHOW. Grundriß des W. R. §. 20. 21.

i) non vero *Spillgelder* quae destinata sunt lusibus. *Spill* vero colum nobis denotat; adeoque idem est ac pecunia muliebris.



communio, *k*) ibi vtrique coniugi in communibus competit ius aequale, adeoque mulieri eadem de iis disponendi facultas, ac marito deberur.

Quae a nonnullis dissentientibus vrgetur, verecundia sexus causae esse non posse, quod in cambiis mulier se obligare non possit, iam ante me docuit auctor *anonymus*, *l*) cum mercatrix, quam tamen admittunt, aequae verecunda praesumenda sit, ac alia mulier. Interim tamen admittit negatiuam propter infirmitatem sexus *m*) et putat adeo *n*) inter eius rei causas remotiores referri hanc forte posse, quod iure communi *o*) feminis ignorantia iuris non noceat. Si recte haec verba intelligo, nihil aliud innuunt, nisi quod mulier, quae se in cambio obligauit, si conueniatur, ignorantiam pro se allegare possit; quod nempe nesciuerit carcerem immediate morosum debitorem sequi, adeoque quod vi huius beneficii haec ignorantia ipsi non nocere, eaque in carcerem detrudi non debeat. Praeter ea quae ex ipso iure Romano ad argumentum hoc responderi possent, hoc tantum moneo, beneficio hoc in cambio locum esse non posse,

A 3

k) Recensum locorum, vbi in usu est dedit III. EISENHART in Inst. Iur. Germ. priu. Lib. I. Tit. XV §. 4 vbi iis locis, in quibus communio bonorum vniuersalis viget, addendus est ducatus Oettingensis; et ciuitas Meliodunensis vid. WALCH de communione bonorum inter coniuges Mülhusan.

l) in den Zusätzen zu des Hrn. Vangerow Entwurf des W. R., ad §. 63. pag. 32.

m) pag. 31.

n) pag. 33.

o) allegat l. 9. D. et l. vlt C. de Iur. et fact. igno.,




posse, cum cambium celerioris solutionis causa introductum sit; cumque principia a Romanis principiis diuersa, scilicet fauor commerciorum, conseruatio fidei, *des Credits*, alia quoque conseruataria, producere debeant.

§. III.

Cum vero hactenus a me dicta huc spectent, vt euincam, principaliter feminam in cambio se obstringere posse: grauiter falleretur, qui exinde concluderet, mulierem fideiussoris quoque personam in cambio recte posse sustinere. Cum enim ipsi iure Romano adempta sit intercedendi facultas, huic, ni aliud suadeat rei ratio, aut aliud constituant leges prouinciales aut statuta, simpliciter standum est *p)*. Id vero ipsa rei ratio postulare videtur, ne ad mercatrices applicetur legis Romanae dispositio, vtque hae fidem suam interponere possint in cambiis, quando negotium ad mercaturam spectans, res concernit. Ad mercatrices, *q)* inquam, non committendas cum mercatorum vxoribus aut viduis mercaturam non exercentibus, quippe quae toto coelo differunt. Mercatrix scilicet est, quae emit et vendit, tabernam fenestramque apertam habet, vbi merces venales

p) Nemo vero me accuset inconstantiae, quod supra §. II. reiecerim ius Romanum, hic admittam. Scilicet diuersa plane est rei ratio. Fideiussio enim cognita Romanis, iure Romano mulieribus interdita est. Hoc vtique seruandum, donec praecipiat contrarium. At obligatio cambialis incognita erat Romanis; ergo de hac legem ferre non potuerunt.

q) conf. Io. REBHAN summaria delineat. quaestionis, quae vxor sit mercatrix &



les prostant, quas ad pondus, libram, mensuram comparat et distrahit r). An id proprio nomine, an vero communi, et suo et mariti nomine faciat, parum refert. Exinde vero, quod merces mariti emat aut vendat, prout in aedibus mercatorum nihil frequentius est; ut id communi, aut suo adeo nomine fecerit, praesumenda non est, sed potius non tam illa, quam maritus mercatus intelligitur; illa vero aut qua institrix mariti, aut qua societas eius in sensu connubiali, non vero in sensu fori iurisque mercatorii egisse censenda est s). Has mercatrices sub dispositione legis Romanae, feminas a fideiussione eximentis, non contineri, multa sunt, quae suadere videntur. Mercaturam, constat inter omnes virile esse negotium; adeoque, quod feminis earumque imbecillitati tributum est beneficii, ad eas, virilia negotia exercentes, horum negotiorum intuitu applicari nequit, sed potius cum mercaturam gerunt, iuri mercatorum se subiciunt. Tum fauores, constat, etiam summos cessare in rebus, ad artem quam quis profitetur, spectantibus. Exemplo esse possunt minores t) quibus peritiam artis profitentibus vel certam negotiationem exercentibus, in causis ac negotiis illius artis laesis, negatur restitutio u). Quidni ergo hanc rationem applicemus ad mulie-

r) Statut. Lubec. Lib. III. Tit. VI. Art. 21. *Eine Kauf-Frau ist, welche aus und einkauft, offene Laden und Fenster hat, mit Gewicht, Wage, Maass und Ellen aus und einwieget und misst.*

s) GEO. FRID. DEINLIN de vera indole Velleiani §. VII.

t) J. H. BOEHMER Introd. in ius dig. tit. de minor §. 6. lit. β

u) G. A. STRUV. syntagm. Iur. civ. Ex. VIII. th. 55.



mulierem mercatricem, scilicet in rebus ad negotiationem spectantibus v).

Accedit, quod plerumque viduae sint tales mercatrices, et mercaturam nomine mariti demortui (*unter der Firma ihres Mannes*) continent, adeoque, cum in locum masculi succedunt, in eius quoque iura succedere debeant. Innuit hoc Paulus Ictus in l. 175. §. 1. D. de R. I. *Non debeo*, inquit, *melioris conditionis esse, quam auctor meus, a quo ius in me transit; et in l. 177. eod. vbi: qui in ius alterius succedit, iure eius vti debere dicitur: quocum optime congruit, quod Bonifacius Pontifex docet in c. 46. de R. I. in 6., vbi, is, inquit, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo iste, vti debet; et in c. 77. eod. vbi: rationi congruit ut succedat in onere, qui substituitur in honore.*

Denique, si fecus esset, accideret, ut id ipsum, quod commodo salutique feminarum constitutum est, in maximum earum detrimentum vergeret. Equis enim contracturus cum iis esset, aut quale ex mercatura sua lucrum sperare possent, cum quilibet a negotiis cum illis celebrandis abhorreret. Mercatura praeterea, id in securitatem suam postulasse videtur, ne ei operam navantes fidem suam limitare possint x).

§. IV.

v) Nam ad hos saltem actus feminae licentia pertinet. Quare si mulier, utut mercatrix de iudicio fisci, et iudicatum solvi pro aliquo interuenerit, non tenetur, cum id ad commercium non spectet
M E V I V S ad Ius Lubec, Lib. I, tit. X. Art. I. nr. 79.

x) M E V I, l. c. nr. 77.

§. IV.

Licet itaque, si mercatrices excipias verissimum fit, mulieri etiam in cambiis Velleiani beneficio subueniri, per se tamen patet, longe aliter rem decidendam esse, quando lege quadam prouinciali, vt fideiussoris munere fungi possit, et si eo functa est, soluere debeat, cautum sit, nec iuri Romano tum locum esse posse. Et cum vtique profecto expediat ad promouenda commercia, conciliandamque maiorem rebus omnibus fidem, si mulieres adigas ne fallant datam, si se interposuerint, fidem: bene ac sapienter Serenissimus Brunsvicensium Dux hanc iuris Romani dispositionem, quantum ad cambia, sustulit y). En legem ipsam: *Es sollen aber alle und jede, so Wechselbriefe kaufen, ausgeben, indoffiren, acceptiren, oder als Bürgen zeichnen, sie seyn Männ- oder weiblichen Geschlechts; hoch oder niedrigen Standes, Hof-Capitular- Civil- oder Militair-Personen, Gelehrte oder Ungelehrte, Bürger oder Bauern, sowol als die Kauf und Handelsleute, an die Wechsel-Ordnung gebunden seyn, und bey entstehender Klage, insonderheit aber in Ermangelung richtiger Bezahlung, wider den Beklagten debitorem ohne einiges Ansehen der Person nach strengem Wechsel-Recht solchergestalt verfahren werden, daß diejenige, so einen Wechsel-Brief ausgestellt oder acceptiret, oder als Bürgen gezeichnet haben, und deswegen vor Gericht gefordert werden, sogleich auf beschebene citation allda in Person, (gestalts*

y) vid. AVGVST WILHELM Wechsel Ordnung de 1 Aug. 1715. art. II.



stallt denn kein Mandatarius oder Advocatus ohne Unsere ausdrückliche Concession zugelassen werden soll) sub poena confessi et recogniti erscheinen, und denselben und ihre Hand entweder recognosciren oder eydlich diffuiren; wenn sie dieselbe aber vor die ihre erkennen, solutionem oder compensationem in continenti klar und mit unverdächtigen Quitungen, Scontro-Büchern oder andern unlängbaren Urkunden erweisen, oder da sie zu solchem Beweiß nicht gelangen könnten, und die Zeit der Bezahlung verfloßen wäre, alsofort ohne Verstattung einiger weiteren Frist oder anderer als in dieser Ordnung exprimirten weder peremptorischen noch dilatorischen exceptionum zur würlklichen Bezahlung, jedoch mit Vorbehalt ihres Rechts, so sie in der reconvention ausführen könnten, angestrenget -- werden.

§. V.

Id ex principio huius legis patet luculentissime, omnes feminas, non mercatrices solum, sed ceteras etiam subire posse his in terris obligationem cambii. Praecepit idem iam ante hanc legem Serenissimorum fratrum RVDOLPHI AVGVSTI ET ANTONII VLRICI ordinatio cambialis a) quae adeo per recentiorem hanc legem confirmata est. Aequè luculenter ex eodem articulo II. videre mihi videor, valere mulierum in cambiis fideiussionem, adeoque adempta ipsis esse beneficia fideiussionis intuitu, iure Romano iis indulta. Cum vero graui-

a) RVD. AVG. et ANT. VLR. Markt- Gerichts und Wechsel Ordng. de 1686. art. XVI. alle und jede — Männer und Frauen, so sich der Wechsel gebrauchen, ob sie gleich keine Handelsleute, sollen dem strengen Wechsel-Recht unterworfen seyn.

grauiter contradicat illustris, qui in academia Ienensi maxima cum nominis sui gloria viget Iureconsultorum ordo, in responso (vid. §. XV.) nuper de eiusmodi controuerfia lato: non superuacaneum putavi laborem, si periculum facerem, an pro modulo ingenii, viriumque tenuitate, qualicumque opella mea ad illustrandam hanc legem aliquid conferre, et quae genuina sit eius sententia, eruere possem.

§. VI.

Cum ei, qui legum aenigmata soluere, verumque earum sensum indagare cupit; nihil magis curae cordique debeat esse, quam ut, quae fuerit genuina legis ferendae ratio, qui finis, cognitum satis perspectumque habeat, cum prior atque potentior quam vox, mens dicentis merito habeatur a), et ab illa ipsa, qua lex nititur

a) l. 7. f. D. de supell. leg. Recte quoque Paulus in l. 19. §. 1. D. ad Sctum Trebell nec verba, inquit, spectantur sententia consulti sed sententia quibuscumque verbis: et Vlpian. in l. 6. §. 1. D. de V. S. cum ex legibus nos loqui putat, cum tam ex legum sententia, quam ex verbis indicamus. Et c. 12. dist. 38. ita praeposenda esse dicitur verbis sententia, ut praepositur animus corpori. Conf. praeterea leges quas ad cit. l. 7. de supell. leg. GOTHOFREDVS citauit, quaeque omnes huc spectant; vbi vnice l. 19. D. de cond. et demonstr. minus accurate allegata est, cum principium legis hic pertinere omisium sit. Insuper ego addo l. 7. §. 2. D. de iurisd. l. 32. pr. D. ad leg. Aquil. l. 4. D. de fundo dotal. l. 35. §. 3. D. de hered. instit. Plura legere cupientibus abunde satisfaciet CHRIST. HENR. ECKHARD in aureo hermeneutices Iuris libello, cuius nouam editionem exscriniasset cum not. III WALCHII auide orbis eruditorum expectat, Lib. II. cap. 1. §. 38.

Nec obstat nobis l. 21. D. de legib. quae, variones, inquit, eorum quae constituuntur inquiri non oportet: alioquin multa ex his, quae



titur ratione omnis vis eius repērenda, adeoque nec vltra illius terminos proferenda, hec intra angustius spatium cohibenda sit b): id mihi quoque, nisi egregie et

falli

quae certa sunt, subvertuntur. Nam ex ipsa huius legis, ei addita ratione non vtiq̄ue eam applicari posse videmus; sed tum demum, cum rationes indagando, quae constituta sunt, subverterentur.

Ergo lex vel de eo casu loquitur, quando quis pro libito, solam suam secutus arbitrium iubet, et vel ipse ratione, cur ita iubeat, destituatur; quo pertinet dictum legis 12. §. 1. f. D. Qui et a quib. manum: quod quidem perquam durum est, sed lex ita scripta est:

vel de eo casu intelligi debet, quando quid bono et saluti republicae constitutum est, quod, si strictissime rem consideres, rationibus

firmissimis non nititur. Rem optime illustrat l. 51. f. D. ad leg.

Aquil. quae, multa, ait, iure civili, contra rationem disputandi recepta sunt. Addit huius rei illustrandae causa exemplum. Cum plures

trabem alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre non

possent, furti actione omnes teneri existimantur: quamvis subtili

ratione dici possit, neminem eorum teneri; quia neminem verum

fit eam sustulisse. Similis casus in l. 3. C. de crim. sacril. refertur.

Sic quoque, si legem 20. §. 2. D. de serv. praed. vrb. accuratius

rimari velis, falsa est eius decisio, cum, ipsa monente lege, si

quid strictius interpretetur, aliud sit, quod sequenti loco ponitur.

b) Nam seire leges, non est verba earum tenere, sed vim, ac potestatem

legib. id est, rationem intelligere. Vnde rectissime

Cicero in orat. pro Caecim. c. 18. annot, inquit, cum voluntas est

consilium et sententia interdixit intelligantur, impudentiam suam, aut

subtilitiam singularem putabimus, in verborum errore versari? Et

de inuent. lib. 1. c. 31, omnes, ait, leges iudices ad commodum reipubl.

referre oportet, et eas ex utilitate communi, non ex scriptione, quae

in litteris est, interpretari. Et de clar. orator. c. 52. negat idem,

verba plus quam voluntatem valere debere. Quocirca Demosthenes

adversus Timocrat. bene monet, quaerendum esse ἐν οἷο κείρων

ἢ νόμος ἔστω. Ergo ad stipulari nullo modo possum I. O. FABRO,

quando ad §. f. I. Si quadr. pauper. rationes nullas quaerendas esse,

ac commode hoc labore superfederi posse, sibi persuadet. Et per-

quam caute intelligenda et adhibenda sunt verba DVAEENI de

legib.

falli et fallere animus, sancte video obseruandum, vt in rationes huius legis inquiram, quanta fieri potest solertia. Duplex mihi, vnde cognosci possit, fons est. Primo quidem, id nemo facile in dubium, credo, vocabitur; antiquiora statuta, antiquioresque leges prouinciales mirum quantum conferre, quo facilius recentiores intelligi atque explicari possint; indeque haud spernendas esse in explicandis legibus recentioribus c). Nos quoque, quo rectiori tramite procedamus, in explicanda hac lege vtentur lege antiquiori a Serenissimis fratribus RUDOLPHO AVGVSTO ET ANTONIO VLTRICO data d) vbi diserte praecipunt, quod, quoniam promouendo commercio et solutioni eo citius adipiscendae cambia inseruiant, omnes qui iis vtuntur, siue masculi sint siue feminae, iuri cambiali, eiusque rigori subiecti esse debeant. Ipsa porro legis nostrae praefatio, quippe quam numquam negligendam esse, vt potius lex ex ea explicanda, adeoque aut declaranda, aut extendenda, aut restringenda sit, nemo ignorat e) eandem hanc latae legis

rationem legib. cap. 6. qui tum demum rationem legis indagandam esse praecipit, cum de iuris dubii interpretatione agatur, ne aduersus veterum praecepta peccemus, qui in republica illud maxime improbant *ἔχτην τῶν νόμων σοφωτέρον εἶναι* vt habet Aristot. Rhet. lib. 1. c. 37.

Id rectissime docet ME V. l. cit. quaest. praeliminar. X. nr. 27. ECKHARD I. c. §. 16. 21.

d) cf. praeced. not. y § V. Verba huc spectantia sunt: *Insonderheit werden auch zur Beförderung Handels und Wandels, und zur Erlangung richtiger Bezahlung die Wechsel-Briefe für ein bequemes Mittel gehalten, darum auch billig das alle und jede — Männer und Frauen dem strengen Wechsel Rechte unterworfen sind.*

e) ME V. l. cit. nr. 22.



rationem nobis suppeditat f). Ex quo patet, quod salutem reipublicae communem promouere, fidem stabilire et augere, celerrimam cuius iustitiae administrationem procurare legislator sapientissimus voluerit; patet ergo simul legem a se latam ita omnino esse explicandam, ut huic fini proposito, quantum fieri possit, respondeat; utque praeterea, quaecumque ad impediendum commerciorum, cui prospicere voluit, liberiores cursum, ad minuendam, quam augere et stabilire voluit, fidem, ad eludendam, quam celeriter procurari iussit, iustitiae administrationem, aliquid conferre possunt, omnia ea removenda esse fedulo, et ab vnoquoque, adeoque a feminis etiam sancte ea obseruanda, quae finem adiuuare propositum possunt; quem egregie profecto obseruant, si fideiubentes denegant solutionem. Certe si mulier semper sub clypeo S^Ci Velleiani g) et authenticae *Si qua mulier* tuta erit, et ad vtrumque, seu sacram anchoram confugere, et hoc suo beneficio, si fideiussit, decipere poterit eum, apud quem intercessit, multum exinde incommodi redundabit in fidem, omnibus in rebus, praesertim in mercatura fedulo attendendam. Quis enim committet

f) Ait vero; -- was gestalt Wir -- unsere Sorgfalt dahin gerichtet, wie Wir neben der allgemeinen Wohlfarth -- insonderheit auch die zu derselben nicht wenig beytragende -- commercia und Handlung noch ferner mehr und mehr zu erspriesslichen Wachsthum und Aufnahme bringen mögen. Zu Erreichung aller solcher -- intention vor dienstam und nöthig erachtet, auch der Wechsel Ordnung halber gewisse Verordnung zu machen -- dasi -- Treue und Glauben im Handel und Wandel bestmöglichst erhalten werden könne.

g) De ratione politica Velleiani disputauit. CHRIST HENR. BREVENING in program. de Politia S^Ci Vell. Lips. 1754.

mittet sese mulieri fidem suam interponenti, et quis tuto ipsi committere se poterit? et cui nihil superest praefidii, nisi ut ad auxilium feminae intercessionemque confugiat, quis quaeso recurrere poterit, ad hanc suam quasi ultimam fontem?

§. VII.

Sed missis his ex ratione legis desumptis argumentis, aegedum videbimus, quid ipsa hac de re lex praecipiat. Nimis clara sunt eius verba, quam ut dubius possit aliquis haerere, reseruatane sint mulieribus muliebria sua privilegia, iure Romano ipsis indulta, an vero adempta sint. Antequam vero legem ipsam euoluam, pauca quaedam de usu iuris Romani in hac quaestione, praemonenda esse videntur. Nempe probe obseruandum est, ius cambiiale singularem esse iuris speciem, et ad ius Germanicum priuatum pertinere *h)* sicut et a celeberrimis doctoribus *i)* in institutionibus iuris Germanici explicatur; ex quo patet, quaestionem hanc ad ius cambiiale pertinentem non ex iure Romano *k)* sed ex ipso iure cambiiali, hoc casu ex ordinatione cambiiali brunsvicensi esse decidendam. Etenim ius Romanum normam

h) Gen. de SELCHOW *Grundsätze des W. R. §. 6. F.*

i) Allegasse sufficiat illustres et pie venerandos, qui in addiscendo iure german. mihi contigere Doctores Dn. IO. HENR. CHRIST. DE SELCHOW in Elem. iur. germ. priv. lib. IV. cap. 1. Sect. IV. et Dn. IO. FRID. EISENHART in Instit. iur. germ. priv. Lib. III. tit. XVII.

k) Id enim esset nimia superstitione colere et venerari ius peregrinum, quod qui faciunt, hi mihi pessime patriae suae consilere videntur.



mam decidendae huius controuersiae eo praebere minus potest, cum in subsidium tantum receptum sit, et deficientibus statutis, legibus prouincialibus cet. valeat; cumque primis et sanae rationis et hermeneutices principis maxime contradicat, legem e Romano iure non hausitam ex illo interpretari velle l), aeque contradicat, ac si legem iuris Romani ex iure et antiquitatibus germanicis explicare velles. Vt enim omne ius, ita prouinciale quoque et statutarium ex propriis suis fontibus interpretandum m) et ex illis explicandum est rationibus, ex quibus promanauit. n) Sedulo itaque cavendum est, ne putemus, si in germanicae originis iure,

videntur. Rectissime contra eos calamm stringit, et superstitionis iuridicae arguit AVGVSTIN. A LEYSER in diss. de superstitione iurid. cap. III. § 6. inserta Medit. ad D. Vol. XII. part. II. Horum, qui superstitioni huic nimis addicti sunt, numero, iure suo adseribi meretur Nicol. Vigelius, qui in Dialogo quem sub titulo: *Wahrhaftige Ursachen, warum das alte römische Reich zertrunnen, und nunmehr in Türken und Christen zertheilt, auch warum Gott denen Türken verhänget, dasi sie den Adel und Ritterschaft verrilgen und ausvotten, zu treuer Warnung dem Adel und Ritterschaft beschrieben und in Truck verfertigt*; MELCHIOR GOLDASTVS in den politischen Reichshandlungen pag. 234. exhibet, omne illud malum nimio iuris civilis neglectu deberi putat. Bene, egregie, soQwo, vt nihil supra.

Quatenus vero ius Romanum in decidendis controuersis Iuris cambialis adhiberi possit, ad id vario modo responderunt Io. GOTTL. SIEGEL in der Einleit. zum W. R. I. Th. cap. I. §. 1. 2 Th. c. 1. §. 1. FRANCK l. c. Lib. I. Sect. 1. tit. 1. §. XI. Gen. DE SELCHOW W. R. §. 9. in primis W. H. VANGEROW in den Ergänzungen und Anmerk. über den Entwurf des W. R. in annot. ad §. 35-52. nr. 9 et auctor anonym. in den Zusätzen zu des Hrn. Vangerow W. R. in annot. ad §. 23-30. pag. 14.

l) STRVBEN rechtl. Bedenk. part. I. pag. 202.

m) I. H. BOEHMER Consult. et Decis. Tom. II. resp. 686. nr. 6.

n) STRVBEN part. 2. pag. 368.

iure, in provinciali aut statutorio casus aliquis expresse et nominatim decisus, aut ius Romanum expressis verbis sublatum non sit, statim ad hoc contolandum esse. Nam aequae ac ius Romanum, statuta o) et leges provinciales interpretationem et laxam et strictam recipiunt; et qui semper stricte accipiendas esse eas putant, ita, ne quantum fieri possit, iuri Romano contradicant, graviter errore labuntur. Nam abrogatum est ius Romanum per leges provinciales, haeque praeferrandae sunt utique. An vero nonne et is legem sequi et observare videtur, qui rationem servat legis? cum certum sit verba eiusmodi legis non secundum verborum corticem, sed ex sua ratione intelligenda esse p). Quoad itaque ex hac legis ratione lis potest componi, profecto non conuolandum est ad ius in subsidium q) demum et deficiente tali lege receptum; nec quidquam opus est, nisi ut ex intentione legislatoris, et ex principiis quibus illa nititur, concludamus, remque componamus. Iam vero et intentio legislatoris et proprium apud nos ac domesticum principium est, ut fides et publica et privata omnimodo et

fulcia-

o) CHRIST. THOMASIVS de statu imperii potestate legislator. contra ius com. §. 77. f.

p) BOEHMER l. c. Part. II, resp. 868. nr. 6.

q) Vnde factum sit quod tantum ius Romanum in foris Germaniae nactum sit auctoritatem, exposuit IO. GOTTL. GONNE in oratione de inuertendo iura tractandi ordine Erlangae 1756 occasione suscepti Prorektoris munere habita; vbi simul suadet inuertere methodum discendae in academiis Iurisprudentiae, et a iure antiquitatisque germanicis ordiri.

C



fulciatur et conseruetur; ergo et ordinatio nostra cambialis ita interpretanda est, ne quid fides detrimenti capiat.

§. VIII.

His praemissis, iam eo feliciter in explicanda hac lege versabor. Iubet vero laudatus Art. II. in principio, vt, *omnes et singuli siue masculi sint, siue feminae*, qui litteris cambialibus fideiussorio nomine subscribunt, teneantur *aeque ac mercatores*, et ordinationi cambiali subiecti esse debeant. Vult ergo, vt fideiubere possint mulieres, vtque si fecerint, iuri cambiali subiectae esse, et soluere teneantur; vnde ius Romanum hic cessare, cum contraria adsit legis provincialis dispositio, nemo non videt. Porro verba, quibus vtitur lex nostra, si quid ego video, nihil aliud innuunt, nisi quod plane exaequati sint omnes quorum ibidem mentio facta, et inter se inuicem et cum mercatoribus. Effectus huius rei hic est, vt iura omnium sint aequalia, ideoque nemini competat alia exceptio, quin et alter ea vti possit. Sic solutionis, compensationis, delegationis celebratae exceptio omnibus competit aequaliter, aut potest saltem omnibus competere; at Velleiani et authenticae si qua mulier exceptio, vnice in feminas cadere potest, qua eo ipso, quod ceteris ibi dictis personis exaequatae sunt, ne inter illos, qui pares esse debeant, disparitas oriatur, priuatae sunt.

Dein comparatae sunt feminae cum mercatoribus. Cum vero sub mercatorum nomine etiam mercatrices designen-

designentur r) praesertim hic, vbi sub nomine *derer Kauf- und Handels - Leute* vterque sexus intelligi commode potest: mercatricibus vero non subueniri beneficio Velleiani supra (§. III.) iam abunde demonstratum sit; idem merito de ceteris quoque feminis statuendum esse videtur. Nec id nobis obstat, quod mercatrix adeo possit vti hoc beneficio in causis negotiationem non concernentibus; nam harum rerum intuitu mercatrix dici non potest (cit. §. III. ad fin. ibique not. v.)

Pergit lex nostra, quod contra fideiussorem, nullo habito respectu, qualem quis personam representet, (*ohne einiges Ansehen der Person*) agi, isque ad soluendum compelli debeat. Verba illa nimis generalia, et indefinita legum dispositio non dubitare nos sinunt, quin mulieres aequae ac masculi satisfacere debeant obligationi cambiali, nec vt ad Velleianum suum confugere possint.

§. IX.

Interim autem vellicat ipse ille art. II. in fine; vbi cuilibet reservari dicitur ius suum in reconuentione persequendum; (*jedoch mit Vorbehalt ihres Rechts, so sie in der Reconuention ausführen könnten*), id quod in subsequenti art. III. difertis verbis repetitur r). Ergo, quod
in

- r) Nam sexus masculinus, etiam femininum sexum continet l. 62. f. D. de leg. 3. l. 1. l. 52. l. 195. pr. D. de V. S.
s) Dabingegen soll aber auch denen Verhafteten nach gescheneher wirklichen Bezahlung, wenn sie sonst einige rechtliche Exceptiones dawider einzuwenden hätten, in der Reconuention ohne alle Weilläufigkeit und per modum processus summarii binwider zu den Ihrigen verholffen werden.



in principio articuli II. de feminis dictum est, eo tantum spectare videtur, ne exceptionem Velleiani et authenticae in conuentione opponant, sed soluere debeant, at saluum ipsis sit ius, quod solutum est, repetendi in reconuentione, quodque adeo ipsis non tam ademptum sit suum beneficium, quam potius in reconuentionem reseruatum. At rem penitus inspicientes, fatebuntur, credo, non obstantibus his verbis Velleiani auxilium mulieribus tam in conuentione esse quam in reconuentione denegandum. Primo enim rationem huius legis si spectes, qui quaeso fidei in commerciis omnimodo stabiliendae conuenit, vt concedamus, mulieribus repetendi, quod soluerint, facultatem? Hac enim re, tantum abest, vt ipsas rigori iuris cambialis subiiceremus, vt potius ceu pueri cum nucibus, ita cum obligatione e cambio descendente luderemus. Et quid demum opis exinde redundaret in creditorem, si, quod accepit a muliere, statim reddendum sit in reconuentione, praesertim summarie tractanda? Praecipue vero, etiamsi flocci habeas hanc illam profecto non spernendam rationem, ipse articulus II si cum Velleiani S^Cri ratione et natura conferas, obstat vehementissime. Quid enim sibi vult Velleianum illud? Id scilicet, vt mulier a nexu fideiussionis et ab obligatione inde resultante, plane se liberare queat, neque teneatur si fideiussit. Sed quid ordinatio nostra cambialis? Iubet illa diserte, vt utique teneatur, vt soluere, vt ad contractum adimplendum obligata esse debeat. Iura igitur in reconuentionem non sunt reseruata, nisi quatenus salua obligatione cambiali, cui satisfaciendum, saluoque nexu fideiussoris fieri

fieri potest. Sic solutionis, compensationis et similes exceptiones admittuntur, nam eas opponendo non tollitur nexus et obligatio fideiussoris, sed potius affirmatur ipsi satisfactum iam esse, ideoque dolo malo facere eum, qui fingit obligationem ubi nulla est amplius. Has ergo exceptiones summa iuris aequitatisque ratio postulat, cum nemo cum damno alterius locupletior fieri, neminique dolus suus prodesse debeat. At mulieris ad Velleianum suum confugientis plane alia est ratio, huic enim incumbit vera, a lege ipsi imposita necessitas solvendi. Ergo non potest repetere in reconventione, quod *iuste* et *ex vera* sibi incumbente *necessitate* soluit; quippe reconventio hanc tantum ob causam remissa est, ut disquiratur an fundamentum agendi habuerit actor, an vero iam aliquid actum sit inter partes quod fundamentum eius excludat.

Mulier si litteris cambialibus fideiussorio nomine subscribere valet, et si subscripsit, ordinationi cambiali subiecta esse iusta est; ex primis sanae rationis principiis apparet cessare Velleiani et authenticae exceptionem, cum posita obligatione ad aliquid faciendum tollatur atque elidatur facultas contrarium faciendi ante hanc impositam obligationem competens. Patet exinde, per ipsam ordinationis cambialis promulgationem sublatam esse iuris Romani dispositionem; cum iubere ut aliquis soluat et simul iubere ut non soluat, consistere non possint. Iubere autem, ut mulier in conventionione soluat, at in reconventione quod soluit repetat, nonne idem est ac iubere ut mulier simul et solvere et non solvere possit?



possit? Factum, quod alias obligatorium non est, nempe fideiussionem mulierum, pro obligatorio agnoscere, utque validum esse et obligare debeat diserte praecipere; at in separato siue in reconuentione tollere rursus obligationem in conuentione validam: quis credet existurum legislatorem, qui tale quid summe contradictorium permittat, nedum expresse iubeat? Eo enim ipso, quod summus legislator mulieres fideiussionis capaces reddit, easque, si intercesserint, ut fidem datam liberent, adigit; omnia beneficia sua, quibus antea poterant uti, reiicit, nouo illas quasi aduentitio statu ornat, et Senatusconsultum Velleianum cum sua authentica, ex peregrinis et in subsidium tantum receptis legibus adoptatum, quatenus in cambiis contrahunt, exulare iubet. Sane ex ipso contextu et ponderata tota lege ²⁾ luce meridiana clarius apparet, eas tantum reseruaras esse exceptiones, ex quibus videre licet, iam antea quouis modo satisfactum esse obligationi cambiiali. Nec enim contra *fideiussionis factum*, quippe in iure quam maxime fundatum, sed contra *litteras cambiales*, per satisfactionem antea praestitam omni suo *effectu iam destitutas*, suum cuique ius reseruatum est.

§. X.

Satis credo ex ipsis rerum argumentis euitum iam est, maxime erroneam esse thesin eam, quod mulier in reconuentione uti Velleiano, et eius ope, quod in

²⁾ Nam inciuile est, nisi tota lege perspecta vna aliqua particula eius proposita iudicare vel respondere l. 24. D. de legib.

in conventionione soluit, repetere possit. Iam et iis, qui semper ad ius Romanum recurrendum, et hanc adeo quaestionem ex eo decidendam esse opinantur, ex ipso iure Romano argumenta suppeditabo, quibus sententia mea corroboratur. In l. 67. D. de R. I. Iulianus ICtus, quotiens, inquit, *idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum excipiat, quae rei gerendae aptior est.* Aptius autem est utique rei gerendae, id est commercio promouendo, et fidei, qua neglecta illud staccesceret atque periret, stabiliendae ut mulieres solvere cum effectu adigantur, quam ut ipsis, posthabitis hisce rationibus exceptionem e iure Romano concedamus. Egregie profecto dissentientibus applicatur dictum Pauli v): *in fraudem legis facit, qui saluis verbis legis sententiam eius circumuenit;* et Theod. et Valent. Imperatorum x) qui, *non dubium est, aiunt, in legem committere eum qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

§. XI.

Ex peruersa eiusmodi legum interpretatione patet, quantum caecutient, qui bonae interpretationis studium negligentes, an et quomodo quae in compendiis suis aut commentariis didicerint, applicari debeant, curant cum incuriosissimis. Non ego mihi id tribuo, nimiae enim arrogantiae foret, ut rectum, quo incedere par sit in applicandis interpretandisque legibus praesertim prouincialibus et statutis, tramitem tradere atque docere

v) in l. 29. D. de legib.

x) in l. 5. pr. C. de legib.
ult. d. R. I. in 6.


In idem tendit dictum Bonifacii in cap.

docere possim; quippe virium tenuitati, et quid valeant humeri, quid terre reculent, probe gnaro. Satis mihi est, et honori mihi ducendum, si et ipse ceu discipulus insistam vestigiis eorum, qui immortalibus suis scriptis hanc artem tradidere; et alios simul allicere possim, ut communem mecum causam faciant, neque sinant, ut neglecta bonae interpretationis ars, neglectum sui vindicet gravissime. Cum praesertim ad hanc, in qua explicanda hucusque desudavi, legem, eo melius certiusque intelligendam interpretandamue, apprimae faciat, si paucis de regulis iis qui in primis huc pertinent, disputem, aegedum proponam vnum alterumue, in primis in statutorum legumue provincialium explicacione utile, ac necessarium bonae interpretationis argumentum, quod ad legem a me antea explicitam, applicato, facile patebit, quam graviter lapsi errore sint ii, qui in interpretanda ea dissentientium castra sequuntur.

§. XII.

Ante omnia id sibi dictum putet legis non provincialis solum, sed cuiuscunque interpretis, *verba legis cum effectu esse intelligenda*; nec enim iussisse legislator, dum legem proponit, sed iussisse et praecepisse existimandus est, et ita iussisse, ut exitu gaudeat sua voluntas. Effectus legis qualis esse debeat, praesertim ex ratione,

- 1) Vtramque hic facit paginam excellentiss. et de iurisprudencia germanica immortaliter meritis CHRIST. GOTTL. RICCIUS in den zuverläßigen Entwurf von Stadtgesetzen Lib. II. cap. XI. §. 6. 8. 10. 11. 12. ECKHARD l. c. §. 18. 19. MEY. l. c. nr. 26 f. et nr. 30
2) c. 10; med. X. de priuileg. verba, inquit, aliquid operari debent, cf. arg. l. 109. pr. D. de leg. 1.



quae ad eam ferendam legislatorem impulit, ex circumstantiis, quae ei anam dederunt, ex personis, quibus praescripta, ex natura negotii, cuius intuitu lata, optime intelligi potest, quae omnia probe vndiquaque consideranda sunt, ne in applicanda lege nimium caecuties. Quibus quidem omnibus ponderatis apparet, nostrae legis effectum in eo consistere debere, ut quilibet quam citissime, quod ipsi debetur recuperet, quod recuperasse dici profecto non potest, si statim reddendum sit. Ergo, quod reseruata sint sua cuique iura in reconuentione persequenda, id nec mutat rei faciem, nec mutare eam potest, cum eius, qui in conuentione fundatum ius, fundatamque intentionem habebat, iura eo tolli non possint. Reseruata potius sunt hanc ob causam, ne, qui in conuentione ius suum liquido probare non possit, propter hanc solam causam cadat iure iuste sibi acquisito. At, cui ademptum est ius suum antea competens, qui tandem fieri potest ut in reconuentione id persequatur? Ademptum vero mulieribus esse ius, beneficiis suis ex iure Rom. descenditibus utendi, ex supra dictis patet luculentissime.

§. XIII.

At, inquires, si verum est, verba cum effectu esse intelligenda, et effectum in eo consistere, ut quilibet ius suum non recuperet solum, sed retineat etiam, qui fieri potest, ut quis compensationis, solutionis exceptiones opponendo, quod soluit in reconuentione recuperare queat? cum hae exceptiones idem plane efficiant ac Velieiani et authenticæ exceptio, nec retineat creditor,

D

quod



quod accepit, his exceptionibus in reconuentione oppositis. Verum quidem est, non retinere, sed non ideo hoc accidit, quoniam hic impune liceat transgredi et violare obligationem cambialem, sed quoniam impune non licet fingere eam, vbi nulla est amplius. Nihil enim aliud hae sibi exceptiones volunt, nisi quod, cum obligationi antea satisfactum iam sit, earum ope repetatur, non quod alter vi iuris ex obligatione cambiali, quippe iamdum extincta, resultantis, sed quod iniuria accipit. Nam quantuscunque sit iuris cambialis rigor, nemo tamen adigi ad duplam eius, quod vna tantum vice debetur, praestationem posse, manifestum est. Patet vero mulieribus ad Velleianum suum confugientibus, haec applicari non posse.

§. XIV.

Pergo ad alteram interpretationis, legum inprimis provincialium statutorumque regulam, nempe: quod *statutum generalibus verbis conceptum generaliter interpretari debeat; adeoque nec ita aut extendendum aut restringendum sit, vt cum iure Romano, quantum fieri possit, conueniat, nec multo minus ex iure Romano ipso interpretandum sit.* Peccant hoc errore ICI quotidie, vt germanis ius dicant peregrinum conatu caeco inconsideratissimoque. Postulare videtur argumenti gravitas, vt, quae supra (§. VII.) a me dicta sunt, hic paulo vberius exponam. Scilicet in eo potissimum cardo rei versari videtur, vt videamus, an vera sit eorum sententia, qui ius Romanum somniant esse pro regula, ius vero provinciale et statutarium pro exceptione habendum, adeoque ita semper




per esse formandum, vt cum regula sua, quantum fieri possit, conueniat *b*). Qui ita sentiunt in eo quaerunt praesidium suae sententiae, quod statuta dicant esse correctoria iuris Romani, ideoque odiosum quid; quam suam opinionem textibus iuris Romani corroborant, et inde stricte ea interpretanda esse, inferunt. Egregie profecto rei suae consuluisse mihi videntur, qui praesentiam Iuris Romani prae iure statutorio ex ipso iure Romano probare nituntur. Valet enim hoc in Germania quatenus receptum est. Quatenus vero receptum sit, nae id ex ipso iure Rom. probari nequit; sed huius rei ratio aliunde petenda est. Receptum vero est vnicuique in subsidium; i. e. in auxilium, si deficient leges germanicae, et salua harum prioritare, saluaque veritate et rationibus nostrae reipublicae. Patet ergo, quod subsidiarium est, id non posse regulam constituere, quin potius existente aliqua regula tolli, adeoque ius prouinciale et statutorium potius pro regula habendum esse, cum semper obliget; ius Romanum vero saluis illis iuribus vigorem demum habeat. Valet enim in Germania, non, quoniam nobis desint legislatores, qui ipsi leges ferre possent, sed quoniam destituimur legibus; vnde cessante hoc legum defectu cessat substitutum ius, in casum defectus receptum. Hoc vero constat, omnes Germaniae

b) Agmen DD ita sentientium congeffit SIM. PETR. GASSER de brocardico vulgari: statuta ex iure Rom. esse interpret. CHRIST. THOMASIVS de stat. imper. potest. legislat. contra Ius com. §. 77. His adde IO. REBHAN de statut. ciuitat. imp. lib. §. X. CAROL. AVG. RITTER de regulis interpret. iur. praestantior. §. 13. 14.



niae status legum ferendarum iure gaudere, ergo latae ab
 iis leges, considerandae, non vt *exceptio* sed vt *leges*, et
 ad eas applicandum, quaecunque de legibus, de earum
 vi, potestate, interpretatione valent, vt adeo analogia
 iuris provincialis et statutarii praeferenda sit iuri Roma-
 no. Analogia enim nititur identitate rationis, et con-
 venientia cum principiis in lege ipsa comprehensis; nec
 vllum superest dubium, quin vbi eadem sit legis ratio,
 ibi eadem valere debeat legis dispositio. Et si verum est,
 prout verissimum esse omnes confitebuntur, omne ius
 ex principiis illis ex quibus promanauit, esse explican-
 dum; (§. VII.) verum quoque est, cuiusque legis ratio-
 nes colligendas esse sedulo, et quoad ex rationibus eius
 colligi aliquid atque autumari iure potest, id esse sequen-
 dum potius, quam ad ius exterum diuersis principiis di-
 versisque rationibus nitens confugas. Nam cum con-
 trarium eius quod ius Romanum iubet, statutum statuit,
 atque ex principiis negotiisque Romanis legibus inco-
 gnitis promanet, absurdusne videar, si cum Romano
 iure, cui contradicit, conciliare, et ex eius principiis,
 quae abhorret, aut ignorat saltem, et alio tramite in-
 cedit, explicare studeam? Quemadmodum enim Romani
 Atheniensium leges adoptarunt, non quoniam nollent
 vt abrogari in posterum non possent, ipsique liberiori
 legum ferendarum facultate priuarentur; sed quoniam
 meliores nec haberent, nec, vt tum erat status reipubli-
 cae, condere possent: ita quoque Germani iura Roma-
 rum receperunt, non vt legislatoria se potestate abdicar-
 ent, sed vt, donec aut emendatae, aut ad reipublicae
 germanicae statum magis accommodatae, aut sublatae
 adeo essent, iis vterentur.

Quae



Quae iam dixi, licet in omni legum Romanarum applicatione omne ferant punctum, imprimis tum accuratissime obseruanda sunt, quando Romanae legis dispositio aegre potest applicari ad negotia reipublicae germanicae propter variatas et rationes Germanorum et mores. Etenim si ius ciuile nihil est aliud, nisi ad *Romanae* reipublicae institutionem relata ratio *c)*; prono exinde alueo fluit, in iis tantummodo capitibus et argumentis, quae cum rationibus, indole et institutis Germanorum congruunt, applicari posse, et perperam adhiberi quando rationes vel deficiunt vel immutatae sunt *d)*. Videmus ergo in explicanda nostra lege nequam ad ius Romanum confugere eamque ex eo limitare nos posse, cum eius a cambiali iure ratio diuersissima sit.

§. XV.

Iam praeparata est omnis materia, vt dissentientium, quorum supra mentionem feci, illustrium in Academia Ienensi ICtorum responsum eo feliciter diiudicari queat. Audiamus illud, et singulas eius rationes, quantum supra anticipata non est responsio, strictim et immediate subiunctis notis, adhibita omni, quae tantis Viris debetur, modestia dispellamus. *Dennoch aber und dieweil die von der Klägerin geschehene Unterschrift des Wechsels eine Intercession allerdings in sich enthält, indem*

D 3

selbige

c) GRAVINA de orig. Iur. ciu. L. 1. pr.

d) ERNST IOACH. WESTPHAL de distincta pract. rat. in iure priu. R. G. §. 23



Selbige hiedurch eine Schuld, die sie nicht selbst gemacht, über-
nommen hat, und jede Uebernehmung einer fremden Schuld
eine Art von Intercession ist; Wie denn auch die Herzogl.
Braunsch. Verordnung dasjenige, was die gemeinen Rechte
von der Ungültigkeit der weiblichen Intercession verordnet,
nirgends deutlich aufgehoben; Vtique fustulit, cum omnes
ibidem nominatas personas et inter se, et cum merca-
toribus exaequarit; cum feminis, vt soluant, vt iuri
cambiali subiectae esse debeant, iusserit, et sibi contra-
dicat lex, quae iubet, vt soluere quis et non soluere
possit. Sed fusius hac de re supra egi vnde cramben bis
coctam proferre piget. Vielweniger dafs dergleichen
Bürgschaften ausser dem Wechselprocess einige Gültigkeit
haben sollten, disponiret; si recte haec verba intelligo, ni-
hil sibi aliud volunt, nisi quod exceptio Velleiani tan-
tummodo in processu cambiali admitti non debeat, quod
vero extra processum cambialem, i. e. in reconuentione
admittenda sit. Sed ordinatio Brunsvicensis mulieribus
non ideo obligationem soluendi iniunxit, quoniam in pro-
cessu cambiali res agitur, sed quoniam cambio subscripserunt.
Non dixit, quod omnes feminae quae processu cambiali con-
veniuntur, soluere debeant, sed quod omnes quae cambio
subscripserunt, soluere coactae sint, quodque ad ius cambia-
le, non vnice ad processum cambialem obstrictae esse debe-
ant. Nec processus hic rem mutat, quippe non tribuit, non
adimit iura, sed persequitur iura iam competente.
Mulier itaque, si in reconuentione repetere velit, quae
soluit, docere debet, sibi iam tempore solutionis com-
petuisse ius non soluendi, se vero cum res altioris inda-
ginis fuisset, vti non potuisse iure suo sibi competente.

An



An vero mulier id docere vniquam poterit, cum iussa sit soluere, cumque, tantum absit vt iam tempore solutionis gauisa sit iure non soluendi, vt potius obligatio soluendi ipsi incubuerit.

Quae iura reconuentioni reseruata sint, inque ea deduci queant, optime docet *Franckius d)* qui, in reconuentione, inquit, vt licet exceptionibus, quousque illae iuribus etiam *debitori cambiati* competentibus nituntur; quae enim *iura debitori cambiati non competunt, de illis exceptiones non releuant*. Cum vero iure Brunsvicensi feminae Velleiani beneficium non competere, pluribus iam probatum sit, nec hanc exceptionem, constat, in reconuentione proponi posse. Pergunt Icti *folglich hierunter es bey den gemeinen Rechten gelassen hat*. Nempe ius commune permittit mulieri vt promittere nec seruare promissa possit, ius Brunsvicense iussit, vt si promiserit, stet quoque promissis. Putas itaque ius Brunsvic. acq̄uuisse in iuris Rom. principiis? *Und wenn gleich Inhalts §phi II. der W. O. alle diejenigen, die einen Wechsel zeichnen, sie seyn männlichen oder weiblichen Geschlechts zu dessen Bezahlung nach strengen W. R. angehalten werden sollen; dennoch diese Zahlung nach Inhalt eben dieses §phi mit Vorbehalt eines jeden in der reconuention auszuführenden Rechts geschehen soll, also das der Weiber in Ansehung der intercession habende Rechte aufgehoben seyn, mit Grunde sich nicht behaupten lasset*, Licet verum sit, saluis iuribus cuique competentibus in reconuentione persequendis cuiuslibet iniunctam esse solutionem, cum tamen adimere iura,

e) Inf. Iur. camb. Lib. II, Sect. VII, tit. X, §. 12.



iura, et simul referuare eadem contradicat, ademtum vero esse mulieribus Velleiani beneficium supra demonstratum sit; haec obiectio facili negotio corrui; *vielmehr da einem jeden nach geleisteter Zahlung seine Rechte vorbehalten sind, diese auch den Weibspersonen offen gelassen recte mulieribus quoque iura competentia persequi remissum est, non vero iura adempta quo pertinet Velleianum; und bloß dem Wechsel-Proceß sein ordentlicher Lauf mit Vorbehalt der Rechte gegen die Weiber gestattet; anbey keinesweges zu behaupten steth, daß die intercession der Weiber, und welchergestalt selbige aus der geleisteten Bürgschaft zu haften haben, jederzeit völlig ausser Zweifel sey, vielmehr in den Rechten verschiedene Fälle sind, da Weiber aus der geleisteten Bürgschaft zahlen müssen, und weil dergleichen Fälle oft dergestalt verwickelt sind, daß sie in dem W.P. sich nicht sogleich ins klare setzen lassen.* Ergo in ea opinione erronea constitutus ICtorum ordo esse videtur, quod, quoniam interdum difficile determinatu esse potest, possit ne femina prouocare ad Velleianum suum, an vero non possit, hanc solam ob causam, ne si forte tale quid accideret, duceretur processus, iniunctum sit mulieribus, vt soluant, et beneficii sui exceptione in reconuentione vtantur. Primo vero maxime superflua fuisset haec legislatio, cum, si vteriori adhuc inquisitione indigeat, vtrum exceptione se sua tueri possit mulier, per se pateat, non prodesse ipsi hanc exceptionem; quin potius soluere, et exceptionem suam in reconuentione proponere iuberetur: sin statim appareat, quod tueri se ea possit, non video rationem, cur exceptionem in continenti liquidam, ideoque in processu cambiali vtique admit-



admittendam, reiciffet legislator. Tum vero haec ab ICTis allata ratio, menti legislatoris quam maxime repugnat, prout (§. VI) deduxi latius, adeoque lex non ex hac erronea, sed ex genuina sua ratione interpretanda est. Pergunt, *der durchlauchtigste Gesetzgeber zu Aufrechterhaltung der Wechselstrenge den Weibern die Zahlung mit guten Grunde auferlegt, dabey aber, das sie ihre Rechte recte sua iura non vero beneficia antea competentia nunc ademta nach geleisteter Zahlung besonders ausführen mögen, nachgelassen hat, worunter auch keinesweges etwas wider sinniges oder ungereimtes verfügt ist, da der Wechselgläubiger allemal den Vortheil behält, das er zu seiner Zahlung ohne allen Verzug gelanget, und der Schuldner sein Recht ausführen muss: So etc.* Quam maxime profecto contra prudentiam legislatoriam impingere, et paulo ridiculum esse, omnibus fideiussoribus siue masculi sint siue feminae solutionem iniungere, tum vero iisdem feminis quibus ante iniuncta est solutio, repetitionem concedere eius, quod vi obligationis fideiussoriae validae soluerunt, omnes credo confitebuntur. Quid vero, vt asserunt ICTi; opis exinde redundaret in creditorem quod mulier soluere cogatur, et repetere demum in reconuentione debeat, non video, praesertim cum summarie tractanda sit haec reconuentionio, ideoque mulieri, si statim ius suum clare deducere posset, statim, quod soluit, restituendum foret.

E

§. XVI.




§. XVI.

Hactenus de Velleiano et authentica in genere. Quod ad hanc in specie attinet, exstat de ea praeter hanc legem Rescriptum Serenissimi Ducis nostri, quod nunc explicare apud animum constitueram. Confectus quoque omnis labor adque finem perductus est. Cum vero propter nimiam, qui iam imprimuntur, librorum multitudinem, nisi diutius hic commorari velim, vela, quantum umquam fieri potest, contrahere a typographo iussus sum, cogente ita necessitate, quae ad huius Rescripti declarationem attinent, hic omittere cogor, vnde propediem prelo committam.



re:
nc
nc
no-
ero
ul-
la,
ho
Re-
de





144
P. 144



ULB Halle

3

004 588 452




nur 1 Stück

f







DISSERTATIO INAUGVRALIS

1778, 6 / 15

DE

EXCEPTIONE
SENATVSCONSVLTI

VELLEIANI ET AVTHENTICAE
SI QVA MVLIER IN CAMBIIS IVRE
BRVNSVICENSI CESSANTE; AD
ART. II. ORD. CAMB. BRVNSVICENS.

QVAM

1778

SVB AVSPICIIIS REGIIS
CONSENTIENTE
ILLVSTRI IVRECONSVLTORVM ORDINE

PRO

GRADV ET PRIVILEGIIS DOCTORIS
IN VTROQVE IVRE RITE ET LEGITIME
OBTINENDIS

D. XIX SEPT. MDCCLXXVIII.

PVBlice TVEBITVR

AVGVSTVS FERDINANDVS HVRLEBVSCH
BRVNSVICENSIS.



GOTTINGAE

APVD IOANNEM HENRICVM SCHVLZIUM, ACAD. TYPOGR.

